



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Eleutherius Abb. 6. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

EVDOXIO, ille à BASILISSA EVDOXII conjugé ad triumphi pompam invitatus. Itaque non sæpe cælum tot armatos unà recepit. Agite tamen, ô Sodales Mariani ! non ideo subire cæli mœnia minus contendite ; liberalior Deus Romulo est ; coronam auferet , etiam qui ultimus transcenderit. Ex Metaphr.

Si fidem & fiduciam tuam jactes in livores & vulnera Crucifixi , & in tua salutis usum convertas memoriam Dominicæ passionis, erit sanguis ipsius pretium redempcionis tuae, mors ejus convertetur ad vitam, dolor ejus in gaudium tuum , in tuum honorem ejus opprobria. S.Bern.de char.c.34.

S. ELEUTHERIUS ABB. 6.Septembris.

Minimam laudem à nostro calamo ELEVTHERIUS accipiet , qui maximam jam olim à Magno Gregorio accepit. Summa est, D.Gregorium sub ultimum verni jejunii diem, inediæ, ob imbecilliores stomachum, succubiturum fuisse, nisi pulpam latranti ELEVTHERIUS preces suas objecisset. Id beneficium Gregorius non modò stylo sed facundâ etiam picturâ in templo locutus est. Quin & mortuum ajunt ab ELEVTHERIO precibus denuò animatum ; sed nos dæmoni eruptam prædam laudamus. Fortè ex itinere Divus ad sacrum Virginum Asceterium diverterat, in quo puer agebat atri genii obses. Non ausus est eā nocte malus hospes puerum torquere, sanctiorem hospitem veritus. Itaque ille domum patrum suum sequitur. Hic etiam pacem crederes : sed induciæ tantum erant. Dum enim ELEVTHERIUS alieni cœnobii vires elevat , suas laudat, redux velut ex insidiis hostis solo adolescentulum affigil

affigit miserisque modis discruciat. Sed obfuit
provocasse ELEVTHERIUM. Neque enim hic prius
cum suis pugnare precibus desit, quam penitus
statione non suâ orcum pepulisset. Nunc similes
pugnas cur non spectamus? ánne quos dæmon
timeat, ELEVTHERII, an quos agit, pueri de-
sunt? Ex Gratio.

*Quoties honor nobis nolentibus ingeritur, necessa-
rium est ut in pavimento cordis sub districto discipline
pede calcetur, & velut venenatus serpens in ipso sugge-
stionis capite iictum sentiat, ne in extremo bona opera-
ni calcaneum movere præsumat. S.Petr.Damian.*

S. STEPHANUS EPISC. 7. Septembri.

A Spera & inculta terrarum habitare D.Bruno-
nem ajunt. Viridaria rectius dicerent, quæ
tam nobiles nobis flosculos submittunt. Atque
hem tibi ex his STEPHANVM Lugduni Galliarum
nobili familiâ satum! Hic vitæ reliquæ in ipsis
cunis bullaque præludens, quem diem patienti
Christo dicamus, materni lactis abstinentiâ san-
ctum habuit. Amorem suum Christum sub pane
latentem quoties contemplatus fuit, putasses æstu
absumendū, nisi lacrimis, quibus diffuebat, hunc
temperasset; dixisses Crucifixo immortuum, nisi
vitam suspiria prodidissent; denique existimasses
cælo precabundum interesse, nisi hoc descendere
ad STEPHANVM vidisses, Angelo misso. Jam tem-
pestates fugatas, desperabundos cælo, ægros sani-
tati, mortuos vitæ redditos taceo. Unum idque
utile juventæ, quod Pontifex jam Diensis edidit,
facinus narrabo. Dixerat graviter in omnia vitia,
illud præsertim, quo festos Divorū dies aleis, cho-
reis & id genus ludicris vulgus amat profanare.

T 2

CUM